



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi**

**Johannes <Climacus>**

**Coloniae, 1583**

**VD16 J 520**

Vita senis cenobij Sclarium viri simplicis. Capvt CLXXVIII.

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

*Mala mors monachi Aegyptij, qui habitare voluit in cella Euagrii heretici.*

## C A P V T C L X X V I I

**D**ICEBAT Abbas Ioannes Cilix comitantibus nobis in Nono Alexandria: Venit ad nos Aegyptius monachus, narravitque nobis dicens: Ad monasterium cellularum frater ex longinqua regione peruenit, volens ibi habitare, prostratusque Presbytero orabat, ut in Euagarij cella moraretur. Presbyter autem dicebat non posse eum illic habitare recedensque Presbyter ait fratri: Fili, dæmon acerrimus illic habitat. Qui enim seduxit Euagrium, & à vera fide remouit immisitque illi scelerata dogmata, ille non permitit aliquem ibi morari. Frater autem persistebat dicens: Profecto si hîc maneo, in illa moraturus sum. Tunc Presbyter coactus dixit ei: Iudicio tuo vade, & eam accipe. Sedit igitur frater in cella vna hebdomada. Venienteque Dominico die, perrexit ad sanctam Ecclesiam. Videns autem illum Presbyter consolatus est. Sollicitus enim pro illis erat. Veniente autem alio die Dominico non veniit ad Ecclesiam. Cumque illum non videret Presbyter, misit duos frater, ut viderent, cur non venisset ad Ecclesiam. Qui venientes ad cellam inuenerunt fratrem iniecto fune seipsum suffocasse.

*Stupendum miraculum. quo docemur, non solum hereticis non esse communicandum, sed etiam in omnibus, in quibus habuauerunt aliquando, communitiorum sententiam, ne Deum tentare velle videamur, non esse habitandum.*

*Vita senis cenobij Sclarium viri simplicis.*



## CAPVT CLXXVIII.

**N**ARRAVIT nobis Abbas Gregorius Presbyter cœnobij Scholarium, quod ibi senex magnus, magnæque abstinentiæ moratus sit, erat autem simplex circa fidem, & vbi-  
 tuncque cum esse contigisset, indiscretè communicabat. Quadam igitur die apparuit ei Angelus Dei, dicens. Dic senex, si mortuus fueris, quomodo vis sepeliamus te? Vt Aegyptij monachi faciunt, an vt Hierosolymitæ? Senex autem respondit ei: Nescio. Tunc ait Angelus: Cogita, & delibera. Post tres autem hebdomadas veniam, & dices mihi. Pergens ergo senex ad alium, narrauit ei, quæ sibi dixerat Angelus. Quod cum audisset senex, stupefactus ex auditu, diutiusque intendens in eum ac diuinitus inspiratus dixit ei: Vbi sumis sancta<sup>1</sup> mysteria? Respondens ille ait: Vbi-  
 que inuenio, Tunc ait illi senex. Non tibi ultra contingat, vt extra sanctam Catholicam, & Apostolicam<sup>2</sup> Ecclesiam communices, vbi nominantur sanctæ quatuor synodi, Nicæna trecentorum decem & octo patrum, Constantinopolitana ceterum & quinquaginta, Ephesina prima ducentorum, Calcedonensis sexcentorum & triginta. Cum autem venerit Angelus, dic ei: Sicut Hierosolymitæ sepeliri volo. Post tres igitur hebdomadas venit Angelus, & dixit seni. Quid est senex? Cogitasti? Dixit autem illi senex. Sicut Hierosolymitæ volo. Dicit ei Angelus: Benè benè. Et continuo reddidit spiritum. Hoc autem totum factum est, ne labores suos perderet, & cum hæreticis condemnaretur.

<sup>1</sup> Vbi sumis sancta mysteria, id est sacram Eucharistiam?  
<sup>2</sup> Vide vt viri sancti nulla in re separètur à sancta, Catholica, & Apostolica Ecclesia & quæ nã ea sit.